

loco per unius mensis spatium. Ex hac enim habetur praesumptio juris, etiam in ordine ad matrimonium contrahendum, pro intentione manendi per majorem anni partem. Haec tamen praesumptio elidi potest contrariis probationibus quibus certo ac liquido constet praedictum animum nullo modo exstitisse. Cfr. Litt. Encycl. S. Off. cit. (1)

Non sufficeret tamen actualis habitatio ad quasi-domicilium parandum, si quis in ea regione more vagi ac itinerantis commoretur, non autem vere proprieque habitantis, quemadmodum scilicet ceteri solent qui in eodem loco verum proprieque dictum domicilium habent. (ib.)

Ideo quasi-domicilium habet uxor ubi servitia praestat; minorennis, ubi studiorum vel famulatus causa commoratur; miles, in civitate in qua stativa habet: non acquirit quasi-domicilium qui, animo ad breve tempus morandi, in villam se confert, licet praeter expectationem diutius maneat, etc. Cfr. Schmalzgr. in l. 2. Decret. t. 2. n. 19 et Reiffenst. ib. n. 23.

**101. III.** Ad *amittendum domicilium vel quasi-domicilium* haec duo copulative concurrere debent:

- 1° *Actualis derelictio* domicilii haecenus possessi.
- 2° *Animus* se alio transferendi.

Non sufficit ergo cessare titulum domicilii hucusque possessi; potest enim domicilium legale, deficiente legis titulo, transire in arbitrium. Ita filia in civitate famulans, quae majorennis facta est, retinet domicilium apud parentes in loco natali, quamdiu paternae domui non omnino valedixerit. Il vero qui, plene dimisso priore domicilio, aliud petunt, ex. gr. migrantes ex Europa in Americam, vagis accensentur donec in locum novi domicilii pervenerint.

#### § 4. DE LEGIS PROMULGATIONE ET ACCEPTATIONE.

**102. PRINCIPIA. I.** Ut aliqua ordinatio obligationem in membra alicujus communitatis inducat, necessarium est ut a legitimo Superiore publicetur ita ut ejus voluntas obligandi subditos manifesta fiat: in quo sita est legis **promulgatio**. Hinc neminem ligat privata legis promulgandae notitia, aut privata declaratio voluntatis suae a legislatore facta:

(1) Omnino speciale est decretum quo, petentibus Patribus Conc. 3i Baltim. S. C. Inqu. approbavit ut, in Statibus Foed. ii qui se transferunt e loco in quo decretum "Tametsi", viget in alium locum censeantur ibi habere quasi-domicilium in ordine ad matrimonium, dummodo ibi continuo commorati fuerint per unius mensis spatium, quin facienda sit inquisitio de animo manendi per majorem anni partem.

quamquam saepe laudabile est huic Superioris menti conformari, dummodo non imponatur ceteris. Promulgatio confundenda non est cum cognitione legis a singulis acquisita. Haec, in foro externo, *praesumitur* post certum quoddam tempus, quod sufficiens esse debet ut lex moraliter potuerit omnibus communitatis membris innotescere. (1) In foro tamen interno praesumptio semper cedit veritati.

**103. II.** In ratione promulgationis peragenda distinguenda sunt ea quae lex naturalis et ea quae lex positiva, praesertim ecclesiastica, requirit. Ex *jure naturali*, talis esse debet promulgatio ut communitas in legis cognitionem moraliter et humano modo devenire possit. Cum autem plura hujusmodi media praesto esse soleant, arbitrio legislatoris relinquatur quodnam eligere malit. Hinc, intra limites jure naturae praefixos, inspicienda est legislatoris voluntas, et huic omnino standum.

De promulgatione *legum ecclesiasticarum* haec observanda sunt:

1° A pluribus saeculis, RR. PP. tamquam sufficientem legum suarum promulgationem habuerunt earundem affixionem in locis publicis urbis in qua resident. Id manifeste elucet e clausulis solitis quibus jubent constitutiones suas Romae affigi et publicari, ut singulos ad quos spectant obligent perinde ac si unicuique personaliter intimatae fuerint. Insuper, in curia Romana, universi orbis lites judicantur secundum leges quae Romae tantum promulgatae fuerint. Reliqua interdum adhiberi solita, ex. gr. exemplaria ad episcopos mittere, jubere ut ab iisdem lex nuntietur fidelibus, sunt tantum media quibus cognitio legis facilius ad omnes perveniat. Cfr. Bouquillon, Theol. Mor. fund. p. 271 seqq.

Igitur tamquam praxi et saepius manifestatae menti S. Sedis contrariam rejicimus sententiam quam olim multi magni nominis AA. tenebant (Billuart, de Leg. diss. 3. a. 2. § 1) et plerique probabilem censebant (S. Alph. n. 96): leges pontificias, quibus jus novum statuatur, saltem virtualiter in singulis provinciis vel dioecibus promulgandas esse, *nisi R. P. contrarium exprimat*. Hac enim opinione abusi sunt Janseniani et Gallicani ut talem promulgationem *prorsus et absolute* necessariam esse contenderent, atque ita principibus civilibus facile medium tribuerent quo leges pontificias efficacia sua privarent. Hinc factum est ut Canonistae, jam melius illius sententiae incommoda et S. Sedis mentem attendentes, communiter illam deseruerint.

2° Pontifices interdum sponte decernunt ut lex obliget tantum postquam in variis locis extra Romam promulgata fuerit. Ita Leo PP. XIII

(1) Sic in Belgio leges obligare incipiunt decimo die postquam typis vulgatae sunt in diario "Le Moniteur." (Lex Belg. 28 Febr. 1845.)



voluit Constit. *Romanos Pontifices* (8 Maii 1881) obligare tantum post publicationem in Anglia factam.

3° Episcoporum leges sufficienter promulgantur quocumque modo publicantur, dummodo adsint jure naturali requisita, ex. gr. si decretum publice in ecclesia cathedrali legitur vel folio dioecesano inseritur.

**III.** Si de actuali oboedientia constitutionibus pontificiis praestanda inquiritur, distinguendum est inter definitiones fidei et leges disciplinares. Prioribus ab unoquoque assensus praestandus est statim ac definitionem promulgatam esse certo noverit: haec enim nihil aliud est quam legis divinae jam exstantis declaratio. In legibus disciplinariis exsequendis procul dubio servandus est terminus qui in ipsis praefigatur. Sin autem nullus praefixus reperitur, duplex datur sententia. Probabilius pro singulis regionibus prudenti arbitrio determinandum est quantum tempus moraliter necessarium sit ut promulgatio, mediis ordinariis, inter hujus regionis incolas communiter divulgetur. Si quis eam medio extraordinario citius cognosceret, certe in foro externo et probabiliter in foro interno non teneretur ad eam observandam.

Alii, ut S. Alph. (l. 1. n. 96) qui eam sententiam probabiliorē vocat, tenent tempus illud *universaliter* extendi posse ad duos menses; unde semper per hoc temporis spatium expectari possit antequam legi oboedientia praestetur. Nituntur Jure Romano (Authent. *Ut factae novae*) in quo leges non obligabant nisi duobus mensibus post promulgationem. Ubi enim deficit specialis canonicae legis dispositio, standum est Juri civili quo utitur Ecclesia, vid. Juri Romano. Nam "Sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjuvantur." (Decr. l. 5. t. 32. c. 1)

**104. IV. De acceptatione legis**, quae consistit in formali vel virtuali consensu majoris et sanioris partis subditorum in legis executionem, haec praecipue attendi merentur:

Numquam legis obligatio directe tollitur ob defectum acceptationis a populo factae. Hoc manifestum est de legislatoribus ecclesiasticis qui ab ipso Deo potestatem fideles regendi acceperunt. Legislator autem civilis, etiamsi eum auctoritatem a populo accepisse opinamur, eam modo independenti *exercere* debet: secus enim illusoria foret, nec plus posset legislator quam subditi vellent. Cfr. prop. 27<sup>am</sup> ab Alex. VII damnatam: "Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam."

2° Fieri potest ut, acceptatione deficiente, indirecte impediatur quominus obligatio inducatur, vel jam inducta cesset. Quod praesertim continget e tacito legislatoris consensu: quia, quando princeps novit legem a subditis non servari et dissimulat, statim, post aliquot actus contrarios

toleratos, prudenter censetur lex revocata. (Suarez. de Leg. l. 4. c. 16. nn. 5-8) Qua ratione per consuetudinem contrariam cessare possit lex, dicitur n. 127. Imo, etiamsi culpabiliter major populi pars legi subjacere detrectaverit, neque haec abolita censi possit propter tacitum principis consensum vel contrariam consuetudinem, reliqui ab ea servanda abstinere possunt donec Superior eam denuo urgeat. Ratio est, quod princeps non est putandus velle ut pauciores legem observent quam plerique non recipiant: unde etiam id plerumque sine magno incommodo fieri nequiret. (S. Alph. l. 1. n. 139)

3° Si qua lex videatur aequo durior, poterunt subditi ad Superiorem recurrere ut ipse haec, quae forte ignorat, incommoda consideret et definitivam sententiam edat. Interim autem, per quamdam epikeiam, legem tamquam suspensam habere poterunt. Sic laudabiliter agere posse episcopos, si quando aliquam legem pontificiam minus suae dioecesis condicionibus convenire judicent, exponit Bened. XIV de Syn. l. 9. c. 8. Sed oportet ut in hoc recursu magnam reverentiam erga S. Sedem ostendant, et, si R. P. eorum rationibus non acquieverit, legem statim exsequantur. Fidelibus autem licet ab episcoporum suorum statutis ad S. Sedem appellare. Sed in plerisque casibus licet tantum uti illa appellatione quae vocatur "in devolutivo" vel recursu extrajudiciali ad R. P. et, donec Romae causa dirimatur, episcopo parendum est. Casus illos enumerat Bened. XIV Const. *Ad militantis* (30 Martii 1742).

**105.** Quidam antiquiores Canonistae, potestatis civilis jura plus aequo extendentes, contenderunt leges pontificias in singulis regionibus obligare tantum postquam a gubernio civili acceptatae fuerint. Hanc doctrinam quae *Placiti regii* appellatur, diserte condemnavit Conc. Vat. (Const. *Pastor aeternus*, III): "Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eandem reddunt saeculari potestati obnoxiam, ita ut contendat, quae ab Ap. Sede vel ejus auctoritate ad Ecclesiae regimen constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis saecularis placito confirmetur."

Attamen *per accidens* posset defectus hujus acceptationis quarundam legum disciplinarium obligationem tollere vel suspendere:

a) Si Ecclesia ipsa alieni gubernio jus quoddam Placiti erga leges gubernationem exteriorem respicientes concessisset.

b) Si, ex oppositione gubernantium, oriretur grave incommodum quo fideles a lege servanda excusarentur.

c) Si gubernium impediret promulgationem alicujus Constitutionis quae ex ipsa dispositione S. Sedis vim non haberet antequam in singulis



provinciis promulgaretur. Ita Fredericus II in Prussia et Catharina II in Russia impedivere ne Societas Jesu supprimeretur per publicationem Brevis Clementis XIV *Dominus ac Redemptor*.

§ 5. DE LEGIS OBLIGATIONE IN SE IPSA.

**106. PRINCIPIA. I.** Quaelibet lex, cum sit vinculum morale, aliquam obligationem in conscientia imponere debet. Haec tamen obligatio e quibusdam legibus indirecte tantum oritur. Sic per privilegium uni concessum vetantur ceteri ne ipsum in usu favoris a principe dati impediunt.

**II.** Sub respectu obligationis, distinguitur *lex moralis* et *lex mere poenalis*. Prior illa est quae immediate obligat ad faciendum vel omitendum quod per eam praecipitur vel vetatur; posterior, quae, licet sine peccato violari possit, obligat tamen ad subeundam poenam quae transgressoribus apponitur. Si legi morali additur poena in hac vita luenda, lex illa dicitur *mixta*.

**III.** Ut habeatur *lex sub gravi obligans*, oportet ut materia legis sit gravis et simul ut legislator eam sub gravi imponere voluerit. Si alterutrum deficit, non exurgit nisi levis obligatio.

Ratio *prioris condicionis* est: quod irrationabile esset sub gravi praecipere ea quae nullam habeant gravitatem, neque ex objecto suo, neque e circumstantiis vel fine intento. Non unice tamen attendendum est ad actionem materialiter sumptam quae jubetur vel vetatur. Sic propter mysticas significationes, quas explicat Conc. Trid. (Sess. 22. de Sacr. Missae. c. 7), sacerdos sub gravi modicissimam aquae quantitatem vino consecrando admiscere jubetur.

Ratio *posterioris condicionis* est: quod omnis obligatio statuitur per voluntatem Superioris, qui saepe rationabiliter, etiam in materia gravi potest tantum sub levi praecipere, nempe quoties hac levi obligatione efficaciter finis intentus obtineri potest.

**IV.** Lex affirmativa dicitur obligare *semper, non pro semper*; lex negativa *semper et pro semper*. Ita lex confitendi singulis annis semper habet in se vim obligandi, sed non adstringit singulis momentis ad confitendum: lex vero non blasphemandi obligat singulis momentis ne blasphemetur.

**107. QUAER. I.** Quomodo dignosci possit utrum materia legis humanae obliget sub gravi an sub levi.

**RESP.** 1<sup>o</sup> Imprimis attendendum ad *verba* quibus legislator utitur. Ubi materia capax est obligationis gravis (Princ. III), censetur legislator velle imponere obligationem sub gravi per verba: *Jubemus, interdici-mus in virtute sanctae oboedientiae, graviter mandamus*; etiam per simplex verbum *praecipimus*, quando materia est certo, non dubie gravis. Nam in materia gravi non est censendus Superior vere praeci-piens imponere obligationem sub levi, nisi id diserte exprimat. (Suar. de Leg. l. 3. c. 26. n. 7)

2<sup>o</sup> Gravitas etiam desumi potest ex *gravi poena spirituali* annexa scil. excommunicationis latae sententiae, depositionis, etc. E poenis suspensionis vel interdicti colligi potest gravitas culpae si censuram proprie dictam constituunt (Vol. II. n. 568), et probabilius etiam quando per modum poenae vindicativae feruntur, sed ad longum tempus et multis bonis privant, ex. gr. suspensio ab officio vel beneficio per annum. Ubi censura est ferendae sententiae, indicat grave praeceptum si edicitur pronuntianda absque alia monitione: sic enim certo supponitur ipsam legis violationem esse peccatum grave. Sin autem talia verba non adduntur, probabilius e censura ferendae sententiae argui nequit ad peccatum grave: tunc enim iudex nequit eam ferre nisi praemissa monitione, ideoque censura ista potius in contemptum monitionis quam in violationem legis cadit. (Salmant. de Leg. n. 44 seqq.)

Poenae vero temporalis gravissima legi civili apposita nequaquam indicium est gravis obligationis in conscientia; imo non desunt AA. qui existiment ita potius indigitari legem mere poenalem. Non enim aequum esse reputant ut legislator transgressores velit addicere poenae aeternae praeter temporalem gravissimam, cujus timor ad effectum obtinendum sufficiat. Exemplo sint poenae gravissimae quae lege civili statuuntur contra milites qui exercitum deserunt: quos tamen Theologi omni culpa gravi per se vacare communiter docent. Cfr. S. Alph. n. 147.

3<sup>o</sup> Ex *consuetudine* quae legem in sensu gravis obligationis interpretetur. Cavendum tamen ne inanis aliquorum devotorum timor tamquam universalis persuasio habeatur.

Cfr. dicenda de criterio quo peccatum grave a levi discernatur, n. 154.

**108. QUAER. II.** Num contemptus gravem efficiat transgressionem legis quae per se sub levi obliget.

**RESP.** Distinguendus est *formalis* contemptus a *virtuali*. Formalis dicitur quando aliquis sciens volens legem transgreditur e contemptu ipsius *auctoritatis qua talis*: quod raro contingit et in iis tantum hominibus qui animum omni auctoritati inimicum gerunt. Manifestum est



transgressionem legis, etiam levissimae, cum hoc formali contemptu factam, esse semper gravem. Nam profecto contemptus auctoritatis quae talis necessario recidit in Deum omnis auctoritatis fontem. Virtualis autem dicitur contemptus qui cadit in aliquid ab ipsa auctoritate diversum, ex. gr. in materiam quae videtur tenuior vel ridicula, in personam legislatoris seu praecipientis quae censetur singularis indolis vel ingenii retusi. Nihil est in tali contemptu quod per se grave peccatum involvat.

§ 6. DE RATIONE SATISFACIENDI LEGIS OBLIGATIONI.

**109. PRINCIPIA. I.** Lex prohibens seu negativa, ex. gr. " ne fureris, " impletur nuda omissione rei prohibita. Inter leges autem praecipientes seu affirmativas distinguendae sunt *reales*, ex. gr. " debita sunt solvenda, " et *personales*, ex. gr. " Sacrum die Dominica est audiendum. " Priora implentur quacumque ratione res praestatur, ex. gr. debitum exstinguitur etiam per occultam creditoris compensationem; posteriores vero non implentur nisi actu humano, et ideo ex. gr. non satisfacit praecepto qui Sacrum die Dominica prorsus violenter coactus audit. (n. 341) Cfr. S. Alph. n. 165; Lehm. I. n. 151.

**II.** Ad satisfaciendum legis obligationi non requiritur ut aliquis ei satisfacere intendat; immo satisficit, etiamsi diserte hanc intentionem excludat, dummodo ponat opus quale praescribitur a lege. Ita legi ecclesiasticae satisfecit qui Missam die festo audivit, quamvis ignoraret diem esse festum, vel intenderet sacro ex mera devotione interesse, postea satisfactorius.

Obligationi tamen quae e voto oriretur non satisfaceret qui actum ad quem teneretur, poneret cum expressa voluntate non satisfaciendi: quia talis obligatio e voluntate promittentis provenit, qui, sicut ab initio libere se debitorem constituit, sic libere in debito permanere potest. Satisfaceret autem qui opus quod vovisset, poneret, sed sine intentione expressa satisfaciendi. (S. Alph. n. 163 seqq.)

**III.** Neque requiritur ad satisfaciendum ut intendatur finis quem sibi, in lege ferenda, legislator praestituit. Ut enim habet sententia trita: *Finis praecepti non cadit sub praecepto.* (1. 2. q. 100. a. 9) Hinc satisfacit praecepto jejunii qui ex avaritia abstinet a cibo, et praecepto abstinentiae qui ex gula pisces delicatos optimo vino conditos comedit.

**110. IV.** Necessarium non est ad satisfaciendum ut lex impleatur in statu gratiae, nisi de contraria mente Ecclesiae constet, ut de ea constat

quoad communionem paschalem. Cfr. prop 16<sup>am</sup> Baii a Pio V damnata: " Non est vera legis oboedientia quae fit sine caritate. " Probe igitur distinguenda est legis impletio a merito: hoc enim sine caritate haberi non posse manifestum est. Satisfacit vero qui implet praecepti substantiam per actum qui ex fine vel circumstantiis sit peccaminosus, ex. gr. qui ob vanam gloriam jejunit vel confitetur. Et similiter impleri potest votum, licet ipse actus sit peccatum. (S. Alph. n. 162)

**V.** Plura praecepta *uno actu* impleri possunt nisi constet contrariam esse mentem legislatoris vel praecipientis: haec enim est omnis obligationis norma. Si de hac mente non constat aperte, attendendum est ad circumstantias ut ex iis intentio illa conjiciatur. Inter rationes autem potissimas conjiciendi novum opus imponi, hanc recensendam ducunt Salmant. (de Leg. c. 2. n. 150): quod eadem materia, a legislatore, prioris obligationis conscio, iterum e diverso motivo imponatur. (Ball. P. n. 231) Sic norunt omnes non esse duo Sacra audienda, quando dies festus in Dominicam incidit; minime vero satisfieri duplici debito centum fr. unica centum fr. solutione. Cum enim in justitiae debitis attendatur aequalitas rei ad rem, nequit summa una centum fr. esse aequalis duobus centum fr. debitis: unde in his alia est intentio et mens se obligantis. (Bus. ap. S. Alph. n. 166) Neque *generatim* potest aliquis uno actu, ex. gr. unius Missae auditione satisfacere duabus obligationibus, quarum una e lege ecclesiastica, altera e poenitentia sacramentali oritur, eo quod alia solet esse mens confessarii poenitentiam imponentis.

Similiter potest aliquis eodem tempore pluribus obligationibus satisfacere *actibus diversis*, dummodo unus alterum non impediatur. Ita poterit clericus, ad Horas canonicas obligatus, eas recitare dum Missae de praecepto audiendae interest. (Bus. l. c.)

**VI.** Qui praevidet se impeditum iri per partem temporis quo impleri potest praeceptum affirmativum, puta audiendi Sacrum die Dominica, tenetur illud implere tempore apto et libero, puta audiendo Sacrum hora sexta si per reliquum mane Sacro interesse nequit.

A voluntate autem legislatoris, per verba legis vel consuetudinem manifestata, pendet solutio quaestionis utrum, elapso tempore quo aliquid praestandum praecipitur, tota legis obligatio exspiret, an adhuc perduret. Plerumque sane tempus indicatur ad finiendam obligationem, ex. gr. in recitatione breviarii, jejuniis, Sacri auditione, etc. De legibus in quibus videatur indicari tantum ad obligationem urgendam, suo loco dicitur.